

L N. I.

Lectori cordatissimo
salutem.

Qui de re metallicâ posteritatis memoriæ non nihil consecrarunt, sanè habentur pauci; & pauciores, qui metallæ argentaria speciatim pertractarunt. Ex amborum genere meritò antesignanus est D. Georgius Agricola, olim in metallifera Valle Joachimi Medicus. Is enim, cum primò harum rerum fuerit autòπτης, postea verò Serenissimorum Saxoniæ Electorum Ducumque stipendiò allectus, certè eruditionem pariter atque experientiam in libris, quos de ortu & causis subterraneorum, de naturâ fossilium, de veteribus & novis metallis & imprimis de re metallicâ scripsit, superiori ævo multis adprobavit. Cum hoc de metallurgiâ meritissimo virô, ob eandem rerum metallicarum peritiam ac singularem in iis describendis eloquentiam comparari potest, quem præterea eadem *Vallis* adæquat ipsi, B. Johannes Matthesius, quippe qui, Theologus licet, de ortu tamen & causis metallorum, deque singulis eorum speciebus & mineralibus mirifice ad palatum τῶν μεταλλοσοφῶν dixit ac scripsit in *Sarepta Sca.* Sed qui antea, vel post illos, ex professo de metallurgiâ argentariâ Misniæ seu Hermundurorum quicquam sit commentatus, neminem ego quidem novi, qui uti par foret, id præstitisset. Petrus Albinus, Nivemontius, historicus Saxonius equidem Chronica metallicâ à rebus Misnicis inscrisit, inque lucem emisit publicam; sed nihil minus quam Misnicam metallurgiam in iisdem videtur attigisse; cum præter nomina quarundam civitatum ac vicorum, vix quicquam aliud recensuerit de re metallicâ. Sicuti autem hujus gratiâ rei mihi ipsi aliquando animus fuit, Chronica ejusmodi Hermundurorum metallicâ pertexere, & circa singula metalla & op-